
Figure 1. from
Hisashi Hayakawa et al 2026 Astrophys. J. Lett. 1011 doi:10.3847/2041-8213/ae84b7
https://dx.doi.org/10.3847/2041-8213/ae84b7
© 2026. The Author(s). Published by the American Astronomical Society.



ET vt, quod ipsi quoque aliquando obseruauimus hac in parte, in medium proferamus, recitabo duas insignes Eclipses Solis, quæ meo tempore contigerunt non ita pridem, quarum vnam anno 1559. Conimbricæ in Lusitania circa meridem obseruaui, in qua interponebatur Luna directe inter visum, ac Solem, ita vt totum Solem non modico tẽporis interuallo contegeret, essentq; tenebræ quodammodo maiores, quàm nocturnæ. Neq; enim, vbi pedem quis poneret, videre poterat, clarissimeq; stellæ in cælo apparebant, & (quod mirabile erat) aues ex aere in terram, præ horrore tam tetræ obscuritatis, decidebant. Alteram Romæ anno 1567. circa etiam meridiem conspexi, in qua rursus Luna etsi inter visum, ac Solem interijciebatur, non totum tamen Solem obscurabat, vt in priori, sed (quod nunquam fortasis alias euenit) relinquebatur in Sole circulus quidam exilis circum circa totam Lunam ambiens. Ex quibus duabus

duabus Eclipsibus perspicue admodum colligitur, Solem, & Lunam in vtraque Eclipsi non habuisse eandem distantiam à terra, vel inter se. Si enim eandem distantiam & inter se, & à terra habuissent, quis non videt, eodem modo Solem debuisse in vtraque Eclipsi obscurari? Id quod à Perspectiuis facile demonstrabitur, & res perspicua est in manu. Si namque manus eandem semper distantiam habet à muro aliquo, & ab oculo, ita vt inter murum, & oculum collocetur, perpetuo eandem partem muri è conspectu auferet, non autem nunc maiorem, & nunc minorem. Igitur nulla ratione dici potest, duo hæc luminaria in concentricis orbibus moueri, quia hac ratione semper æqualiter inter se, & à terra distarent; atque adeo apparentia hæc Eclipsium Solarium locum nullo modo posset habere.